

adnotent et in regestra sua diligenter referant. Similiter etiam die, qua negligentes et non solventes villas capitaneus detulit, in regestrumque diligenter adnotet, ne aliquis error et implicatio rerum accidere possit. Quietationes vero antiquas non debent exactores diserpere sive lacerare vel ipsas ad se recipere, sed eas rursus hiis, qui eas adulterunt, restituere pro officio vestro et gratia nostra, aliter non facturi.

Datum Cracouiae, in conventu generali, sabbato in crastino festi sancti Valentini, anno Domini ac- millesimo quingentesimo tricesimo nono^{ac} [15 II 1539], regni vero nostri anno ^{ad}-tricesimo tertio^{ad}. Ad mandatum Sacrae^{ae} Regiae Maiestatis proprium.

IV. LITTERAE UNIVERSALES DUCILLORUM

Sigismundus ^a-Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litwaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres^a. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscumque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam hae nostra [litterae] pervenerint et praesertim in^b districtibus eius consistentibus sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti. Noveritis communi omnium consensu tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium in conventu generali Cracouiensi congregatorum voto^c et concordi voluntate exactionem ducillorum, que *czopoue^d* dicitur multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigente decretam esse, quae inchoari debet a festo Pentecostes proximo [25 V 1539] et continuari per integrum annum ad aliud festum Pentecostes anni millesimi quingentesimi quadragesimi [16 V 1540]. Exigetur autem et solvi ac exigi debet eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem, modo videlicet infrascripto.

Ut quilibet cerevisiam coquens venalem, ex quibuscumque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta, hoc est sive ipsa brsea sint civium et dominorum sive ex molendinis provenientia et emensurata sive domi facta, a quolibet vase singillatim vel coctura ipsius cerevisiae iuxta locorum consuetudinem ante hac observatam, exactionem ipsam ducillorum in manus infrascriptas exactoris fideliter solvat. Ita, ut a maiori coctura alias *varv^e* plures grossi solvantur et a minori pauciores iuxta vasorum numerum et quantitatem et exactoris constitutionem, quam ibi opus et quoties expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet, notariosque et custodes tam in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis iuxta arbitrium suum. Exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illos astringet. Ternarii vero more vetusto circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparacione conserventur. Tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes a quolibet vase mensurae civilis per unum grossum alias iuxta antiquam consuetudinem. Coctam vero a dominis tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes non secus, si advectivam propinarent, ratione ipsius contributionis per sex grossos solvent. Item a medio vase^f alias *Pukyffek^g* florenus unus cum triginta quadrantibus solvendus. Item a drelink sive Seremiensi vase vini et similiter ab aliis vasis, quae *fudri* vocantur, duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi. Item a quolibet barili malmatici vel vini Italici unus *orth^h* cum septem ternariis solvatur. A barili vero simplicis vini duo grossi solvantur cum duobus ternariis. A cerevisia advectitiaⁱ sive externa, ut Swidnicensia, Glougoniensia, Thesshnensia^j, Bernouiensia et alia quacumque, a quolibet eius vase duo grossi solvantur et quicunque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, medonem, malmaticum et alium quemcumque potum ex predictis vendere et propinare in fraudem reipublicae praesumpserit, totum illud in quo

^{ac-ad} M^oD^oXXXIX MK₂, Dr₂; M.D.XXXIX Dr₁, ^{ad-ad} XXXIII MK₂, Dr₁, Dr₂. ^{ac} Brak w MK₁, Dr₁.

^{a-a} etc. MK₂. ^b in palatinatu [*następnie okienko*], et MK₂. ^c W MK₁, *omylkowo*: vero. ^d czopowe MK₂. ^e waru MK₂. ^f vase vini MK₂. ^g polkuffek MK₂. ^h hort MK₂. ⁱ aduectiuia [*sic*] MK₁. ^j Thessinensis MK₂.

fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet et ad poenam regalem solvendam, quoties id fecerit, obligabitur, capitaneusque loci in tales omnes et singulos fraudem huiusmodi committentes animadversionem debitam veritate rei cognita non habendo respectum ad quempiam irremissibiliter exequatur.

Ad quam quidem exactionem colligendam diligenterque^k et fideliter exigendam in ipso palatinatu seu terra^l et districtibus eius constituimus, vobis omnibus et singulis, quorum interest, mandantes, quatinus praefato exactori sive ab eo substituto de exactione ducillorum respondeatis et responderi faciatis. Vos vero locorum capitanei eos, qui rebelles vel negligentes erunt et quos ipse exactor deferet, per pignorationes solitas ad solutionem huiusmodi exactionis compellatis sub poenis nostris contra negligentes capitaneos in novis et antiquis statutis descriptis et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Cracouiae, in conventu generali, feria quarta Cinerum, anno Domini ^m millesimo quingentesimo tricesimo nono^{-m} [19 II 1539], regni veroⁿ nostri ^o anno tricesimo tertio^o.

**V. ^aDECRETUM UT NUNTII CIVITATIS CRACOVIENSIS
INTER NUNTIOS TERRARUM SUUM LOCUM
IN COMITIIS TAM MINORIBUS QUAM MAIORIBUS OBTINEANT^{-a}**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc. Universis et singulis planum testatumque facimus, ea fuerunt meritatum erga maiores nostros, tum erga hoc regnum nostrum regiae civitatis nostrae Cracoviensis, ut iure optimo quedam ei pro ceteris privilegia concessa sint, inter que praecipuum est hoc, quod facta ei est potestas, contra morem aliarum civitatum, nuntios ad comitia tam minoraque particularia, quam maioraque generalia vocant mittendi, quibus inter alios terrarum nuntios locus datur, ita ut nobilitati militiaeque terrestri incorporata sit et unita sed paucorum quorundam odio et malevolentia, tanta fuit in eos nuntiorum invidia concitata, ut eos a coetu suo removere, atque a consessu consiliisque excludere conarentur. Nos cum videremus praeter meritum hac eos a nuntiis affici contumelia cum non modo non admirerit quidquam regia haec civitas nostra, quamobrem de iis ornamentis, quibus virtutis et meritorum ergo, a maioribus nostris affecta fuit detractum ei per nos aliquid oporteret qui soli eius^b rei potestatem habemus, et non terrarum nuntii, sed meruerit potius ut ad priora illa nova fieret accessio decreto nostro regio sanximus, ut quem locum inter terrarum^c nuntios post hominum memoriam nuntii eius honestissime semper sunt tutati, sum semipternis deinceps temporibus teneant neque aut occultis machinacionibus cuiusquam, aut aperta vi de eo deturbentur, quodquidem decretum nostrum, altero etiam et tertio decreto nostro confirmavimus, sed eo quorundam perrupit^d audacia, ut ne decretorum quidem nostrorum ratione habita, in suo nihilo minus instituto permanerent. Atque e coetu nuntiorum terrestrialium, nuntios regiae nostrae civitatis, nulla legitima causa excludere conarentur, quae res non iam ad civitatis modo^e nostrae, sed multo magis ad nostram iniuriam et contumeliam pertinere visa est, decretis enim^f nostris violandis et contemmendis, nos auctoritateque nostra regia violari et contemni videtur. Itaque dignam animadversione eorum audaciam esse putavimus, qui contra decretum nostrum venire ausi essent, sed ne quid a natura nostra clementi et benigna alienum fecisse iudicari possemus novissimum iam hoc decretum nostrum de nostra senatorumque regni nostri et consiliariorum sententia scribi iussimus quo statuimus inviolate id observari mandantes, ut nuntii regiae nostrae civitatis Cracoviensis inter nuntios terrarum suum locum in comitiis tam minoribus quam maioribus obtineant de quo si quis eos contra decretum hoc nostrum deturbare fuerit conatus, is eas se poenas incursum esse sciat,

^k diligenter MK₂. ^l Następuje okienko. ^{m-m} MD XXXIX MK₂. ⁿ Brak MK₂. ^{o-o} XXXIII MK₂.

^{a-a} W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 19603, s. 116, tytuł ten brzmi: Decretum regium, iuxta vim cuius nuntii civitatis Cracoviensis inter nuntios terrarum suum locum in comitiis tam minoribus quam maioribus obtineant. ^b Odczyt niepewny na skutek zamazania tekstu. ^c Odczyt niepewny. ^d Piekosiński odczytał: prorupit. ^e Odczyt niepewny, wyraz zamazany. ^f Tak odczytał Piekosiński; odczyt niepewny.